Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2975
Quelle:
Copyright:

Rex ſanctorum Angelorum
Totum mundum adiuua &c.

quem Chorus alternis repetit. Item in *Die Sancto ad Proceſs.* Elegia:

Salue feſta dies toto uenerabilis euo
Qua deus infernum uicit et aſtra tenet &c.

pariter ἀντιφωνως a Choro reddenda. A *Dom. V. poſt Paſcha* excepta *Aſcenſione* et *Pentecoſte* continuo non niſi SS. Feſta leguntur usque ad *Andreae Apoſt.* rejectis poſt ea *Dominicis* omnibus a I. *poſt Pentecoſten* usque ad XXIII. Harum Dominicarum agmen ducit illa *de Sancta Trinitate*, diu itaque ante etiam in *Germania* celebrata, quam per *Johannem* XXII. Sec. XIV. in Ecclesiam *Rom.* introduceretur, qua de re vide, ſi lubet, *Lud. Thomaſſini Comment. de Dier. feſtor. celebrat.* edit. lat. *Venet.* 1729. L. II. c. 18. p. 83. f. His accedit *Commune de SS.* et Cantanda *in Agendis Mortuorum.*

II. a *fol.* 107. p. 2. Sequuntur *Reſponſoria* quaedam in praecipuis Feſtis per annum incipiendo *a Natali Domini* usque ad Feſtum *S. Martini Conf.* et *Dedicationis Eccleſiae*, quibus adhaeret Hymnus *Gloria in excelſis* &c. cum *kyrie eleyſon* ſexies et *Sanctus Sanctus* &c. ter diverſa ratione modulatum.

III. a *fol.* 112. p. 2. prorſus eleganter ſcripta Collectio *Sequentiarum*, quarum plurimis ad cantum moderandum impoſitae ſunt Literae. Prima eſt *de Natali Domini* in hunc modum:

F G a a G a c c a c c c c
Grates nunc omnes reddamus domino deo.
c c G c h c a G c c D c G c h c a G F c a a G
Qui ſua natiuitate Nos liberauit de diabolica poteſtate.
F
D G a G D G a c a F E D G a G c a c c a G
Huic oportet ut canamus cum angelis ſemper gloria in excelſis.

Univerſim numero ſunt XXXV. et ad praecipua per Anni circulum Feſta pertinent. Verum omnes aetate noſtra exolevere, ſi *Sequentiam Paſchalem* demas, quae incipit: *Victimae Paſchali* &c. et locum penultimum, adeoque extra ordinem occupat. *Codex* antiqui Cantus ſacri Curioſis commendandus

DCCCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 201. f. max. regali magnificentia adornatus juſſu *Mathiae Corvini* Reg. Hung. cujus, uti et *Beatricis* Neapolit. ſecundae Uxoris, insignia Fol. 3. margini inferiori adpicta conſpiciuntur. Continet *Antiphonas*, quae in Miſſae ſacrificio diebus dominicis 18